

Ad Decimum tertium, has penas non habere locum, nisi in suscipiendis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimum quartum, comprehendit. Ad Decimum quintum, Non posse, nisi de consensu eorum, qui elemosinas tribuunt, ut supra in responsione ad Duodecimum.

Ad Decimum sextum, comprehendit etiam privatos Sacerdotes.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

Quandoquidem Canones, & Capitula presentis Tituli penitus nihil continent, quod non ex professo, & exacte tractant Theologi tam Morales, quam Scholastici, ideo ad eos benevolam Lectorem remittimus, qui etiam, si libet, de hac Materia videre potest, quae in Theologia nostra Morali Tr. 14. Dist. 3. diximus: si tamen quis materiam de Baptismo per SS. Canones probare vult, legat Dist. 4. de Consecratione, ubi per totum de hac materia agitur.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

- 1 Baptismus est janua aliorum Sacramentorum. Fundamentum ubi non est, superaedificari non potest. Ibid.
2 Sacramenta a non baptizato Sacerdote collata, quae valeant, quae non. Et n. seq.
3 Error communis supplet potestatem Jurisdictionis, sed non Ordinis. Et n. praec.

Cum Baptismus sit janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, novae Legis, ac proinde ante susceptionem Sacramenti Baptismi nullum suscipiatur Sacramentum (excepto Sacramento Eucharistiae) simulque, ubi fundamentum non est, superaedificari non potest, ut dicitur c. 3. h. t. ibidem, & c. 1. eod. habetur, quod non baptizatus ordinari non possit, etsi de facto sive bona, sive mala fide ordinetur, Ordinatio invalida sit, nec recipiatur Ordinis Character. Adeoque, si deprehendatur, Presbyterum aliquem non esse baptizatum, debet is necessario baptizari, & denuo per singulos Ordines promoveri, seu de novo ordinari.

Addit tamen Pontifex cit. c. 3. h. t. in fine, quod emergente quaestione, vel controversia, certe de illo, qui natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos esse fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod si fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.

Quaeres, quid juris & consilii in casu, quo Sacerdos non baptizatus alii administrat Sacramenta? Resp. I. Sacramentum Baptismi a tali Sacerdote putativo collatum, & Matrimonium, cui assistit, valent. Communis. Ratio primae partis est, quia Baptismus a quovis etiam non baptizato habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, collatus valet, arg. can. a Quodam. 24. de Consecrat. dist. 4. Ratio secundae partis est, quia Sacramentum Matrimonii ipse Sacerdos non conficit, sed ei tantum assistit per modum excellentis testis. Hinc Sannig cum Communi

aliorum bene docet etiam valere Matrimonium, licet is, cui Parochus Matrimonio sui loco assistendi licentiam praebet, sit Laicus, si communi aestimatione & errore credatur Sacerdos, eo quod error communis suppleat jurisdictionem, l. Barbarius. 3. ff. de Offic. Prator.

Resp. II. Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, & Extreme Unctionis a Presbytero non baptizato confecta, invalida sunt. Rursus Communis. Ratio est, quia quamvis error communis suppleat defectum potestatis jurisdictionis l. Barbarius. 3. ff. de Offic. Prator. tamen non supplet potestatem ordinis, quae ad praefata Sacramenta conficienda requiritur, ut bene advertit Abbas in c. Apostolicum. 2. h. t. in fine. Pirhing h. t. n. 3. Engel h. t. n. 3. cum Communi. Nihilominus pie credendum est, Christum immo Sacramentum aliunde supplere effectus, quos alia vera Sacramenta in suscipientibus produxissent: dummodo rite dispositi ex parte sua, quod requiritur, faciant, arg. c. 2. h. t. Ratio est, quia alias Ecclesiae innocenti magnum immineret periculum, quod Christus non permittit, ut post D. Thomam bene docet Sylvester 5. Baptismus. 6. n. 3. Barbosa in cit. c. 2. h. t. num. 2. & alii.

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiae, Christmatis, & aliorum Sacramentorum.

Pauca sunt, quae in hoc Titulo, duo tantum Capitula continent, statuantur. c. 1. statuitur, ut in cunctis Ecclesiis S. Christma (id est Oleum mixtum balsamo, benedictum ab Episcopo pro Confirmatione, ac Oleum simplex ab eodem Episcopo benedictum pro Sacramento Extreme Unctionis,) & Eucharistia sub fidelis custodia clavibus adhibitis diligenter conserventur, ac custodiantur, ne possit (ut ibidem dicitur) ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria (puta sacrilegia, artes magicas, superstitiones &c.) exercenda. Quod, si is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, vitiis mensibus ab officio suspendatur, & si per ejus incuriam aliquid nefarium contigerit, graviori subiacet ultioni; ut ibidem statuitur.

Deinde c. 2. eod. prohibetur, ne suppellectilia profana (sive propria Clericorum, sive aliena & Laicorum sint) in Ecclesiis admittantur, vel ponantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eos oporteat habere refugium. Ob quem textum Doctores cum Abbate communiter hic notant, quod urgente necessitate possint Tempia, & Ecclesiae etiam muniri, ac per milites defendi contra hostes; quia quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, c. 4. de R. J. Cessante autem necessitate cessare iterum debent, & ab Ecclesia amoveri ea; quae ibidem extra necessitatis casum licite esse non possunt ut cit. c. 2. h. t. habetur: ubi insuper severè praecipitur, ut Oratoria, Vasa Corporalia, Purificatoria, & reliqua Ecclesiae, ejusdem Ministrorum vestimenta munda, & nuda conserventur. Ratio subjungitur, nimis enim videtur absurdum, in Sacris fordes negligere, quae dederunt etiam in profanis. Quod urinam magis observarent quidam Parochi, quorum Ecclesiae, earumque Paramenta, & vestimenta subinde ita sunt constituta, ut aspicientibus quibusvis displicentiam, & Consecrationibus creent horrorem.

TITULUS

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

1 Ratio Ordinis.

Post habitam cognitionem de custodia Eucharistiae, Christianis, & veneratione Sacramentorum, merito sequitur Rubrica de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum. Circa materiam hujus Tituli (qui extat etiam in sexto, Clementinis, & Extravag. Comm.) habetur Decretum Concilii Tridentini Sess. 25. De Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus. Ac novissime providentissimum Decretum Urbani VIII. quoad imagines, & miracula nondum Canonizatorum vel Beatificatorum &c. emanatum 1625. die 13. Martii, incipit Sanctissimus, & habetur Tom. 4. Bullarii Chelrub. Constit. 39. dicti Pontificis, estque confirmatum in alia Constitutione ejusdem Pontificis, incipit Celsissimus Jerusalem, ac refertur in dicto Tom. 4. Constitut. 135. dicti Pontificis, unà cum Declaratione dictum Decretum mox sequente.

§. I.

De Veneratione, & Cultu Sanctorum, Beatorum, ac cum fama sanctitatis Defunctorum; atque de Canonizatione, & Beatificatione eorundem.

SUMMARIUM.

- 2 Sanctus quis sit, & dicatur?
3 Et quis Beatus?
4 Canonizatio, & Beatificatio quid?
5 Differentia inter utrumque.
6 Canonizare, & Beatificare solus Papa potest. Cause majores Ecclesiae reservatae sunt Papa. Ibid.
7 Canonizare olim poterant Episcopi.
8 Papa in Canonizatione Sanctorum non potest errare.
9 Ad eam requiruntur probitas vitae, & miracula.
10 Ante, & post mortem.
11 Exceptis Martyribus.
12 Canonizatio, & Beatificatio quomodo fiant?
13 Non tractatur de ea ante lapsum 40. annorum, nec finitur ante centum annos, post mortem Servi Dei.
14 Neque inchoatur ante instantiam Principum.
15 Episcopi possunt, & solent processum citius incipere.
16 Cultus alius publicus, alius privatus.
17 Sancti, ac Beati coli possunt cultu publico, & privato: quomodo?
18 Cum fama sanctitatis Defuncti coli, & invocari possunt cultu privato, sed non publico.
19 Constitutiones Urbani VIII. circa cultum talium & imagines, atque miracula, revelationisque eorum.
20 Deductiones praedictae, usque ad n. 24.
21 Miracula, & Revelationes cum fama sanctitatis defunctorum Typis mandare, quomodo prohibetur?

Quaeritur I. Quinam sint, & dici valeant Sancti? Item, quid sit Canonizatio, & Beatificatio, ac in quo differant? Resp. I. Quamvis in sensu largiori omnis ille sit, & dici valeat Sanctus, Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

qui in gratia sanctificante, seu habituali existit, praesertim si virtutibus, & perfectione splendet, juxta illud, qui Sanctus est, sanctificetur adhuc; Tamen regulariter loquendo, & proprie ad propositum Sanctus est, & dici potest omnis & solus ille, qui rite Canonizatus, id est, per Pontificem Albo, seu numero & catalogo aliorum Sanctorum publicè, solemniter, ac canonicè adscriptus, atque tanquam Sanctus declaratus, & definitus est, addito statuto, ut ab omnibus Christi Fidelibus pro tali habeatur. Fagnanus in c. 1. h. t. n. 2. & ibi Doctores communiter.

Resp. II. Pariter, licet in sensu largo vari sint, ac dicantur Beati, tamen proprie, & ad propositum loquendo Beatus est, & dici potest omnis & solus ille, qui ex speciali concessione Summi Pontificis ab aliqua Provincia, Religione, vel loco tanquam in Caelis existens, cultu aliquo publico v. g. recitatione Divini Officii, celebratione Missae, expositione Reliquiarum ejusdem publicè, prout nempe, & quantum concedit Papa, coli & venerari valeat. Castro Palao p. 1. tr. 3. Disp. 1. pun. 5. §. 5. n. 1. Tanner. Tom. 3. Disp. 1. q. 4. n. 290. & seq. cum Communi.

Resp. III. Ex dictis manifestum est, quod Canonizatio, seu Canonizare aliud non sit, quam solemniter, & canonicè aliquem inscribere Albo, seu numero, & catalogo Sanctorum, atque autoritative declarare, & definire, eum existere in Caelis, simulque statuere, ut ab omnibus Christi Fidelibus pro Sancto habeatur. Beatificatio autem, seu Beatificare aliud non sit, quam rite ac legitime concedere alicui certo Regno, Provinciae, Religioni, vel loco facultatem, quod aliquis tanquam in caelis existens cultu publico, celebratione Missae v. g. recitatione Divini Officii &c. juxta determinationem concedentis venerari, ac invocari possit. Doctores citati, atque in re communis aliorum.

Ex his colligitur etiam differentia inter Sanctos, & Beatos, item inter Canonizationem, & Beatificationem. Nam in Canonizatione praecipitur & statuitur, ut Canonizatus ab omnibus Christi Fidelibus pro Sancto habeatur, & coli possit quovis cultu publico. In Beatificatione verò tantum conceditur, non autem praecipitur, ut aliquis cultu aliquo per Pontificem determinato, & quidem non à toto mundo Christiano, sed tantum a certo v. g. Regno, Provincia, loco, Religione &c. coli valeat, quamvis caeteroquin pro Beato, & in Caelis existenti haberi & credi debeat, juxta dicenda infra.

Quaeritur II. An solus Papa Canonizare, & Beatificare possit? Item, an in Sanctorum Canonizatione, vel Beatificatione errare possit? Resp. De facto solus Papa potest aliquem Canonizare, vel Beatificare. Fagnanus in c. 1. h. t. n. 20. & ibi Barbosa n. 3. Innocentius n. 2. Abbas, Joan. Andreas, & DD. omnes, arguit. c. 1. h. t. ibi: Cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque autoritate Ecclesiae Romanae venerari. Ratio est, quia Majores causas Ecclesiae, qualis procul dubio est Canonizatio Sanctorum, referendae sunt ad Sedem Apostolicam, c. 3. prin. de Baptisma. eique specialiter reservantur, c. 4. de Offic. legat. Plures alias rationes vide apud Hostiensium in cit. c. 1. h. t. & ibi Fagnanus n. 27. & Glossa in c. un. eod. in 6. v. Sedis Apostolicae. Inferius proin, quod Episcopus etiam pro sua Dioecesi nullum possit Canonizare. Imò Canonizandi potestas nec Concilio Generali absque autoritate Romani Pontificis competat, secundum Barbofam, quem sequitur Pirhing h. t. n. 3. & alii.

Dicitur de falso, quia antiquitus ante introductionem solemnem, qui nunc servatur, ritus Canonizandi, 7 plures Sancti post felicem eorum obitum, communi sensu largiori omnis ille sit, & dici valeat Sanctus, Episcoporum, & Populorum consensu declarabantur. Ooo 2 &



712 & colebantur; qualis proin erat quædam Canonizatio, Papæ & totius Ecclesiæ, quæ errare non potest Math. 16. iudicio, concessa, & consuetudine introducta; ut post alios notat Layman lib. 4. tr. 7. cap. 5. n. 1. Primus siquidem Papa, qui Sanctos solemniter Canonizasse legitur, videtur fuisse Leo III. electus 796. ut notat Bellarminus de Sanctis cap. 8. Imò olim poterat quisvis Episcopus pro sua Diocesi aliquem Canonizare, cultumque publicum eidem exhiberi mandare; prout cum aliis notat Bellarminus lo. cit. Verùm hodiè omnis talis potestas Episcopis ablata, solum Pontifici reservata est per Jura, & rationem num. præced. allatam, cui accedit, ne aliis ob aliquorum Episcoporum simplicitatem in tam gravi causa populum decipi, & abusus fieri contingeret, ut post Hostiensem notat Fagnanus lo. cit.

8 Queritur III. An Papa in Canonizatione aut Beatificatione Sanctorum possit errare? Et an de fide sit, quòd errare in hoc non valeat? Resp. Papa in Canonizatione Sanctorum non potest errare, Fagnanus in c. Venerabilis de Testib. à num. 10. Sylvester v. Canonizatio. n. 2. Covar. lib. 1. Variar. Resolut. cap. 10. r. 13. D. Thomas quæstib. 9. art. 5a. & communis aliorum contra Gloss. in c. un. h. t. in 6. v. Sedis Apostolicæ. qui à potiori eam fatentur, quòd etsi Conclusi non esset de Fide, temerarium tamen, scandalosum, hæresi proximum, eamque sapiens esset, dicere, Pontificem errare posse in Canonizatione Sanctorum. Imò aliqui, ut Castro Palao lo. cit. num. 2. Joan. de Neapoli citatus apud Fagnanum lo. cit. n. 29. Valent. 2. 2. Disp. 1. q. 1. p. 7. a. 6. §. 40. v. Itaque, & alii absolute docent, Conclusionem esse de Fide, & contrarium docentes, esse hæreticos. Verùm quia quæstio hæc potius ad Controversias, quam Canonistas pertinet, hic abstrahimus, & Lectorem Benevolum ad Controversias remittimus. Tractat tamen eandem quæstionem insigniter Fagnanus lo. cit. Castro Palao lo. cit.

9 Queritur IV. Quænam requirantur ad Canonizationem, vel Beatificationem alicujus? quomodo? & à quo fieri possit, ac debeat? Resp. I. Tam ad Beatificationem, quam Canonizationem duo copulative requiruntur, videlicet Miracula, & excellens probitas vitæ. Fagnanus in c. 1. h. t. n. 3. & ibi Innocentius n. 1. Joan. Andreas n. 4. Anchoranus n. 5. cum communi, arg. c. Venerabili 52. de Testib. ut proin nec sola vitæ probitas quantumvis eminens, nec sola miracula sine excellenti vitæ probitate sufficiant; prout clarè habetur in Bulla Gregorii IX. Edità pro Canonizatione S. Antonii de Padua 1232. 1. Junii, incipit: Cum Dicat Dominus, Et habetur in Tom. 1. Bullarii Cherub. Constit. 4. dicti Papæ, ibi: Licet ad hoc, ut aliquis sanctus sit apud Dominum in Ecclesia Triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, juxta illud Apocal. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ad hoc tamen, ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria virtus morum, & verius signorum; merita videlicet, & miracula, ut hæc & illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.

10 Porro miracula non tantum in vita, sed etiam post mortem alicujus sunt necessaria ad ejusdem Canonizationem, ut bene observat Glossa in c. un. h. t. in 6. v. Sedes, communiter recepta, teste Mascardo, Concl. 261. n. 42. Et quidem verè, ac proprie talia; etenim improprie & largè talia, falsa item & ficta etiam ope dæmonis, vel per naturam & artem fieri possunt, prout fecit Simon Magus, & Magi apud Pharaonem, can. Teneamus. can. 1. q. 1. Quænam autem sint vera miracula, & quid requiratur ad ea, dicitur infra n. 33. & seqq.

Limitatur autem Conclusio in Martyribus, utpote in quorum Canonizatione non multum de vitæ probitate, nec de miraculis tempore vitæ peractis, sed præcipue de miraculis post mortem, & de causa, ob quam passi sint, indagatur, ut notat Mascardo lo. cit. n. 9. & observat Hostiensis in c. 1. h. t. n. 3. & post ipsum Fagnanus lo. cit. n. 16. & alii, arg. can. Baptismi vicem. 34. & can. Catechumenum. 37. de Consecrat. dist. 4. quibus concordat generalis illa promissio Christi, Matth. 10. Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.

11 Resp. II. Ante Canonizationem, vel Beatificationem alicujus sit exactissima, strictissima, ac cautissima inquisitio, examen, & processus super vita, moribus, virtutibus, famâ, & miraculis Canonizandi, aut Beatificandi, ita ut omnis locus, & via fraudi, deceptioni aut errori præcludatur: Et merito; cum enim Sanctorum Canonizatio sit una ex principalissimis, ac maximis causis Ecclesiæ, omnino decet, ut omni, quo potest, modo meliori, perfectiori, ac securiori tractetur. Quomodo autem, & qualiter fiat hic Processus, quæ praxis, & ceremoniæ in illo observentur, quibus virtutibus, vitæque moribus inquiratur &c. per integrum Tomum exactè, ac præctice tradit Matha de Canonizatione Sanctorum.

12 Illud solum notandum; quòd S. Sedes de facto regulariter tractare non solet de Canonizatione, vel Beatificatione alicujus, donec elapsi sint quadraginta anni à morte Servi Dei, prout ex Decretis & praxi S. Congregationis bene notat Landuscha in Theatro Regular. v. Beatificatio. num. 1. ubi etiam subiungit, tempus ad actualem Canonizationem necessarium, de facto esse centum annorum: quamvis olim sæcù fuerit, ut patet in Canonizatione S. P. N. Francisci secundo anno post obitum ipsius facta per Gregorium IX. & in Canonizatione S. Antonii Paduani, per dictum Pontificem facta ante annum integrum elapsam à die obitus prædicti Sancti, Pontificem ad eam movente ingenti numero supendorum miraculorum. Imò etiam de facto quandoque ob specialem dispensationem, ac dispositionem Summi Pontificis dictum tempus non observatur, ut patet in S. Francisco Saleis, mortuo primùm 1622. & tamen per Alexandrum jam Canonizato 1668. ut videre est in Bulla Canonizationis ejusdem, quæ incipit Ecclesia Catholica, & habetur in Bullario Cherub. Tom. 5. Constitut. 170. dicti Papæ.

13 Porro etiam post finitum tempus memoratum non fit actualis aliqua Canonizatio, nisi sub illo, aut post illud fiant instantiæ ac supplicationes pro ea à pluribus Principibus Personis, quæ etiam fieri plerumque solent ab aliquibus Communitatibus, Magistratibus &c. instando, ut Papa Servum Dei in Sanctorum numerum referat, prout ex praxi bene observat Mascardo Concl. 261.

14 Quibus non obstantibus possunt, & solent Episcopi etiam ante lapsum quadraginta annorum interim instituire Processum, & inquisitionem sive judicalem, sive extrajudicalem super miraculis, famâ sanctitatis, vitâ, moribus, ac certis virtutibus alicujus, idque idè, ne alias per mortem testium pereant necessariæ probationes, atque ut S. Sedes suo tempore melius informari queat: ut bene observat Landuscha lo. cit. & docet post alios Barbosa Allegat. 97. n. 4. ubi addit, quòd hujusmodi Processus, informationes, inquisitiones, & examina per Episcopos, aut eorum Vicarios, vel Deputatos ab eis, servatis de Jure servandis facti, legitimi sint & validi, possitque ex eis Papa ad Canonizationem, aut Beatificationem procedere, quamvis hoc facere non solet, cum teste stylo Curie novus semper autoritate Apostolica fieri solet Processus, vel saltem strictè examinatur Processus ab Episcopo factus, an ritè ac legitime fuerit peractus.

Queritur V.

§. I. De Veneratione, & Cultu Sanctorum; &c.

16 Queritur V. Quo cultu, ac veneratione coli possint Sancti, aut Beati? Absoluto responsonem notandum, Cultum alium esse absolute, alium respectivum, alium Lætricæ, alium Superdulicæ, alium Dolicæ, de quibus Theologi, & vide etiam dicta in Theologia nostra Morali Tr. 5. Dist. 1. q. 3. & 4. Insuper alium esse, & dici Cultum publicum, alium privatam. Privatus est, qui non exhibetur nomine Ecclesiæ, nec tanquam institutus ab ea, sed fit ex privata devotione colentis, recitantis v. g. in honorem alicujus privatas aliquas preces, vel in honorem ejusdem, jejunantis, se mortificantis, sive dein in occulto, sive in publico, & aliis videntibus talem cultum exhibeat. Cultus publicus est, qui fit nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea, sive deinde publico in loco, sive in occulto fiat; Cultus enim publicus, seu solemnissimus non idè talis appellatur, quòd publice, vel coram aliis exhibeatur, sed quia defertur nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea, uti post Bellarminum, Sanchez, & alios, bene docet Bonacina Tom. 2. Disp. 3. p. 2. num. 2. contra Barbosa lo. cit. n. 13. Hoc nota.

17 Resp. I. Certum, ac de Fide est, illos, qui jam fuere Canonizati, vel saltem Beatificati, coli posse cultu Dolicæ tam publico, quam privato. Ita Omnes tam Theologi, quam Canonistæ, & Controversistæ, quorum ultimi Conclusionem ex professo ad longum probant, & specialiter contra hæreticos demonstrant, per cultum & venerationem Sanctorum penitus nullam committi idololatram. Illud tamen hîc notandum, quòd actu Canonizati coli possint quovis Dolicæ cultu publico; contra verò Beatificati non nisi in illo loco, illoque cultu publico, quem concessit Pontifex, utpote qui in Beatificatione alicujus non quemvis Cultum publicum, sed unam, vel plures determinatos admittit, prout supra jam diximus, & per hoc inter alia Beatificationem à Canonizatione distingui docuimus. Circa Beatos nondum Canonizatos attendendum etiam est Decretum S. Congregationis, quod refert Landuscha in Theatro Regularium sequentis tenoris.

Ad aures Eminentissimorum Patrum Congregationis Sac. Rituum plures deveniunt, qui petuntur Indulgentiarum excessus in materia præstationis cultûs Beatificati ad hunc non Canonizatis quomobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur, providere studentes, ad infra scripta deveniunt Decreta, &

1. Quòd si eorum Beatorum Imagines, etiam non principaliter & uti simplices appositæ, simulacra, Picture, Tabellæ, aut scripturæ, eorum præclara gesta representantes, aut referentes, in Ecclesiis, Sacrañis, & Oratoriis quibusvis, & præsertim in quibus Misse Sacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo modo exponantur.

2. Quòd ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam, Imagines simulacros picture Tabellæ in Ecclesiis ponant, & coli possint, in pariete tantum, non autem super Altari collocandi facultas tribuatur.

3. Quòd si concessa fuerit per eandem Sedem Apostolicam, Altarium erectio, non tamen ob id Missam, & Officium de prædictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præsumatur; etenim specifica, & expressa concessio super his procedere debet.

4. Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur inconsulto Pontificæ ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.

5. In locis ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permittuntur, non inde publica Officii recitatio permittatur, sed tanquammodò privata; nec satisfactoria præcepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit.

6. Misse pariter, quæ fuerint indultæ certis personis, Reversentul Jus Can. Tom. III.

nempe Presbyteris Regularibus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel Monasterii, seu Presbyteris alicujus Ecclesiæ servitio præcipue addictis, & consequentibus Sacramentibus, quavis dignitate (etiam Cardinalatûs) insignitis, minime celebrentur.

7. Dies Festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali Indulto Apostolico provisorius fuerint.

8. Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci, earumque per sonarum, in quo, & à quibus cultus cum Officio, & Missa celebretur.

9. In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in Oratoriis privatis recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur, vel recitentur.

10. Publicis in precibus præter indultas, & à Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur.

11. Eorumdemque Reliquie in Processionibus minime circumferantur.

12. Sacra eadem Congregatio presentibus declarare, & jussione remove non intendit Cultum Beatis per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorialium temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta; vel temporis centum annorum metan excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicæ, aut Ordinariorum hæcenus præstitum, aut certis modis & formâ ab eo tempore eis exhibitum. Verùm si à centum annis circa cultus hujusmodi, aliqua ex parte constiterit auctus & extensus, eo casu Sac. eadem Congregatio eundem in pristinum reduci jubet, prout quemvis cultum, extra casum prædictos, ad expressum tantum verbaliter in Apostolicis Indultis omnino revocari mandat, sub penis &c.

13. Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum Officiis celebrentur, & aliis quibusvisque à Sacra Congregatione hæcenus emanatis, quæ præseni Decreto renovantur.

14. His autem Sanctissimo relatis, & in Congregatione Sac. Rituum ordinariè habitâ coram Sanctitate Sua per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Sacchetti accuratè pertractis, matureque discussis, Sanctitas Sua ea approbavit, & pro omnimoda eorum observantia, mandavit Typis imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut elapsi termino sex mensium, à die publicationis eorumdem, omnes, & singulis officiant, & ardent, ac si omnibus, & singulis eadem exhibita, & personaliter presentata, intimata, seu notificata fuissent.

15. Indultique locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicæ possint, imò debeant Sæculares, & Regularis quoscunque quantumvis exemptos, etiam Societatis Jesu, S. Antonii Viennen. & S. Joannis Hierosolymitani, ac reliquos omnes, speciali expressione indigentibus, etiam sub Censuris compellere. Cùmque aliqui nulli subdantur Episcopo qui eos, si exceperint, coercere valeant, eo casu à Sede Apostolica Nuntiis, si adierint, sin minus ab Archi-Episcopis in eorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subjectis, intra, vel propè quorum Diocesis limitet, eorum Ecclesiæ, vel Monasteria sita fuerint, tanquam à Sede Apostolica Delegatis ad hujusmodi Decretorum observantiam prædicti omnino cogantur. Die 27. Septembris 1650. Julius Episcopus Sabin. Cardinal. Sacchetti. F. M. Phabus Sac. Rit. Congreg. Secretarius. Fuit impressum Romæ In Regestis hujus Congreg. fol. 148.

Declaratio præfati Decreti super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando.

Alatis ad Sac. Rit. Congregationem dubiis circa observantiam, & intelligentiam Decreti super Cultu Beatis



Beatis adhuc non Canonizatis praesentando editi die 27. Septembris 1659. & publicati 3. Februarii praesentis anni 1660.

Primo. At ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus Imaginem, & simulachrum super Altari exponere, nec non votivas Tabellas ibidem appendere?

Secundo. An si Dies Festi in Beatorum honorem non celebrentur, extendatur ad Festa devotionis?

Tertio. An indulta recitandi Officium cum Octava, vel sine Octava, & celebrandi Missam de Beatis, fuerint revocata per dictum Decretum Sacrae Congregationis?

Quarto. An in Ecclesiis, in quibus Officium, & Missa de Beatis recitari, ac respectivè celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere?

Quinto. An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicae gaudent privilegiis suae Religionis, de quibus sunt capaces, pro eorum conditione, possint de Beatis suae Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & Altare Beatis praedictis erigere?

Sac. Rituum Congregatio Respondit.

Ad Primum, affirmativè. Ad Secundum, negativè. Ad Tertium, pariter negativè. Ad Quartum, affirmativè. Ad Quintum, negativè.

Die 19. Aprilis 1660. Julius Episcopus Sabiniensis Cardinalis. Sachetius. Loco sigilli. F. M. Phœbeus Sac. Rit. Congreg. Secret. Gratis etiam quoad scripturam. Romae ex Typographia Rev. Cam. Apost. 1660.

28 Queritur VI. An, & quomodo coli, ac invocari possint illi, qui cum fama sanctitatis, aut insignis pietatis quidem mortui, adhuc tamen non Canonizati, nec Beatiificati sunt? Resp. Licet, & utile esse, tales colere, venerari, honorare & invocare Cultu privato, non item Cultu publico. Prima pars de Cultu privato docetur à Glossa communiter recepta in c. h. t. in 6. v. Sedis Apostolicae. Ballarmino lib. 1. de Sanctis. cap. 10. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 43. n. 3. & aliis communiter, patetque ex c. 1. & 2. h. t. ubi prohibetur, aliquem publice venerari pro Sancto absque Sedis Apostolicae autoritate; sique à sensu contrario privatus honor permittitur.

29 Porro circa cultum & venerationem hominum cum fama sanctitatis defunctorum, eorumque imagines, miracula, revelationes &c. extant celeberrimae, esse sanctissimae Constitutiones Urbani VIII. quarum prima incipit Sanctissimus, estque inter Constitutiones dicti Papae 39. in Bullario Cherub. dignissima; ut hic per extensum ponatur.

Sanctissimus D. N. sollicitè animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quod idie irreperere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatiificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis aut radiis seu splendoribus proponuntur, miracula & revelationes, aliisque beneficia, à Deo per eorum intercessionem accepta, in libris verum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum simulachra Tabellas, imagines, & ves alia ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia luminaria opponuntur.

§. 1. Potentique proinde hujusmodi abusus, pro debito officii pastorales, occurrere, ve etiam cum Illustrissimis ac Reverendiss. DD. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus communicata, & mature considerata, ac

discussa, declaravit, statuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum sanctitatis, seu martyrii fama (quantumcumque illa sit) defunctorum Imagines, aliisque praedicta, & quodcumque aliud, venerationem, & cultum praeseferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam secularibus, quam regularibus, cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur (& si quae opposita sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

§. 2. Ac pariter imprimi de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, seu Martyrii famam, vel opinionem (ut praesertim) celebras è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quaecumque beneficia tanquam eorum merito, seu à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in his recognoscendis, Theologos, aliosque per doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinceps fraudes, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes verò, & miracula, aliisque beneficia supra dicta, quae in libris h. rum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandataque Sua Sanctitas.

§. 3. Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia tam pictas, quam scissas, atque exculpas appendi aut affigi, & lampades, siue alia quaecumque luminaria accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra faciendum, Sedique Apostolicae referenda, ac probanda.

§. 4. Declarans, quod per supra scripta praedicta in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communiem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicae, vel Ordinarii coluntur.

§. 5. Ut autem praemissa diligentius observentur, universis, ac si quis, quibus haereticis pravitatis Inquisitoribus districte praecipit, ut in sua quilibet Diocesi, vel Provincia sedulo pervigilet, ne sine approbationibus praedictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia praedicta publicentur, aliaque contra superius disposita fiant.

§. 6. Transgressores verò, si Regulares fuerint privationis suorum Officiorum, ac vocis activa, & passiva, nec non suspensionis à Divinis: si verò Clerici, seculares, privationis pariter suorum Officiorum, suspensionis à Divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respectivè, aliisque arbitrio praedictorum Ordinarium, seu Inquisitorum pro modo culpa insignendis penis plectendo.

§. 7. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculperint, seu quocum modo effinxerint, vel formaverint, ceterique Artifices circa praemissa qualitercumque delinquentes, praedicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus penis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinarium, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.

§. 8. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Sequitur Declaratio praesertim Prohibitionis.

Postmodum verò idem Sanctissimus N. D. à quibusdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, & Imagines, quas impofterum offerri congerit, recipere, & antea oblatas conservare liceat? Sanctitas Sua, quae tantummodò voluit, occurrere abusus, qui irreperere videntur, certiorum parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam Divina clementia placuerit admirari.

admirationis operibus illustrare, re prius cum Illustriss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus communicata, praesentis Decreto declaravit. Quod si nunquam prohibuit, nec sua inentionis fuit prohibere oblationem, receptio nemque Tabellarum, & Imaginum hujusmodi, ita ut nulli deinceps hesitationi locus relinquatur, statuit in praesentiarum, & decernit, ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumque alium publicum secularem, seu regularem Tabellae, & Imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quavis cum martyrii, vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum locorumve praedictorum Curae Praepositis, Tabellae, & Imagines sine pictas, siue ex quavis materia scissas, atque alias quaecumque collatae gratia solum, facientia simul cum deferentibus, aliorumque qui concilii fuerint, atque stationibus accipere, atque approbationibus Ordinarii, ad quos referre statim omnia teneant in scripto aliquo, seu in libro ab Ecclesia loco custodire, ibidemque jam amota, collatae, & aservare, ut si quando Dominus talium virorum merito Beatiificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi sanctitatis qualescumque probationes. Apostolica Sedis iudicio tunc examinande, & contrariis quibuscumque non obstantibus.

Altero ejusdem Urbani VIII. Constitutio incipit Caesaris Jerusalem, estque 134. in dicto Bullario, in qua Constitutione omnia in prior edita de novo renovata, atque motu proprio confirmata, simulque statuit, Ne ex tunc deinceps quispiam Ordinarium, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter Delegatum super aliquo utriusque sexus, cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisque hujusmodi sanctitatem redolentibus ex integro informationes quoquo modo recipere, aut Processum instrueret, vel huiusmodi receptas informationes, infra hunc Processum ulterius prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas juridicè susceptas probationes circa personam eius, de cujus miraculis, revelationibus, aliisque rebus gestis sanctitatem praeseferentibus ageretur, praescriptam in praesentis nostro Decreto formam omnino servatam extitisse docuerit, & nisi postea successivè idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter Delegatus diligenti praehabita disquisitione circa eandem personam, supra citato Decreto nullatenus contravenitum esse, rite pronuntiaverit: utque id innotabiliter observetur, statuitur insuper, ac decernimus, ne transmissi ad Urbem undecumque hujusmodi Processus, à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario minusque sanctae fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in Sacrorum Rituum Congregatione, alio se-junctim oblatio authentico Processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter Delegatum rite, ac rectè ut praemissum, cognovisse, ac pronuntiasse praedictato Decreto nequaquam contrarium esse, plenè constituerit, ac deinde à nobis judicialiter aperti di eos Processus facultas indulta fuerit. Insuper longissimum tempus, illiusque immemorabilem cursum, de quo in praedicto Decreto, intelligi delectur, viginti annorum metari excedens, de quo his, atque infra scriptis omnibus, quae in Decretis disposita, & ordinata sunt, aliquid subterfugere difficultate Ordinarii locorum, & Delegatis Apostolicis quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademptam: utque Sedem Apostolicam desuper consulente, ab eaque responsum expectentur, mandavimus eisdem, & aliis prout in Decretis desuper citatis plenius continetur.

20 Ex his itaque Constitutionibus, atque ex Conclusionem n. 18. posita breviter pro praxi inferunt. I. Illicitum esse, de praefatis Familis vel Famulabus Dei nondum Beatiificatis dicere Missam, vel recitare horas Canonicas, vel eorum Nomina Litanis ab Ecclesia

consecratis inferere, ac invocare: item illicitum esse, in Forum honorem Templi erigere, vel Altaria publica, aut eorum Reliquias in publica Processione circumferre, aut venerationi publicae exponere &c. Ratio est; quia haec & similia Cultum denotant publicum, qui nomine Ecclesiae, aut tanquam constitutus ab ea fit, aut fieri censetur, prout cum Bonacina, Sanchez, & aliis jam diximus in Theologia nostra Morali Tr. 5. Dist. 1. q. 4. n. 41.

21 Contra licitum, utile, ac pium esse, memoratos Famulos & Famulas Dei honorare, ac invocare privatis orationibus ac precibus, eos sibi in Patronos eligere, in eorum honorem jejunare, se mortificare, quotidie aliquas preces, vel alias Devotiones, etiam aliis videntibus, vel audientibus perolvere, eò quod haec non nisi Cultum denotent privatum, utpote non nomine Ecclesiae, neque tanquam institutum ab ea, sed tantum privata devotione exhibitum.

22 Inferunt II. Circa Imagines eorum, illicitum esse, eas cum radiis, laureolis, vel splendoribus pingere, vel pictas habere, siue dein publicas, siue privatas, & in occulto aserventur; sique ex citatis Bullis Sanctissimis, & Celestis Jerusalem. Econtra à sensu contrario licitum ac pium esse, eorum Imagines sine radiis, splendoribus, aut laureolis depictas, vel sculptas domi suae habere, eaque ibidem etiam videntibus aliis venerari. Non verò in Templis, Sacris, & Oratoriis quibuscumque, praesertim in quibus Sacrificium Missae, vel alia Divina Officia peraguntur; ut habeatur ex Decreto S. Congregationis apud Landscana v. Beati.

23 Inferunt III. Illicitum quoque esse, talium nondum Beatiificatorum miracula, revelationes, ac beneficia eorum intercessione collata Typis mandare, nisi prius ab Ordinario loci recognoscantur, & approbentur, ab eoque ad Sedem Apostolicam, unde responsum expectari debet, transmittantur: ita clarè habetur in citata Bulla.

§. II.

De Veneratione Reliquiarum; & Approbatione earundem: ubi etiam de Miraculis, Examinatione, & Approbatione earundem.

SUMMARIUM

- 24 Reliquiae Sanctorum quid?
- 25 Quomodo coli valeant?
- 26 Cultu publico non possunt coli Reliquiae noviter inventae, nisi prius legitime approbentur.
- 27 Noviter inventas Reliquias Canonizari, vel Beatiificari etiam Episcopus, approbare potest: & quomodo? Ibid.
- 28 Reliquias necdum Beati approbare pro cultu publico non potest Episcopus.
- 29 Licetum est, eas, antequam approbentur, colere cultu privato.
- 30 Specificantur tales cultus privati.
- 31 Reliquiae extra Capsam non sunt ostendendae.
- 32 Transfere Corpora & Reliquias Sanctorum potest Episcopus cum causa, & consensu Capituli.
- 33 Miraculum quid? potest fieri à solo Deo.
- 34 Sancti moraliter tantum faciunt Miracula.
- 35 Requisita ad Miraculum. Et num. praeced.
- 36 Miracula quare faciat Deus?
- 37 Et per quos? Instructio practica.
- 38 An, & quomodo unum Miraculum sit majus altero? Et num. seq.
- 40 Miraculum non necessariò fit in instanti. Et num. seq.



42 Episcopo examinare, & approbare potest Miracula. Et quomodo? Ibid. Et num. seq.

24 Queritur I. Quid sint Reliquiæ Sanctorum? Et quid de cultu ac veneratione earum? Resp. I. Per Reliquias Sanctorum ad propositum intelliguntur eorumdem Corpora, & Corporis partes, portiones etiam minima, puta caput, manus, digiti, dentes, ossa, capilli, cineres, pulveres, item eorum vestes, panni, vela, instrumenta mortificationis, quibus in vita usi sunt; vel quibus eorum corpora, aut partes eorum post mortem involuta erant, ita cum communi aliorum Azorius p. 1. lib. 9. cap. 8. Vallensis h. t. num. 1. Sannig eod. cap. 1. num. 1. & alii, probationem præbente universalis praxi ac consuetudine Ecclesiæ.

25 Resp. II. Circa cultum, & venerationem SS. Reliquiarum idem ferre, quod de cultu ipsorum Sanctorum dicendum est; videlicet, quod Reliquiæ alicujus iam Canonizati coli valeant cultu publico quolibet: Beatificati autem non quovis, sed illo tantum cultu publico, quem concessit, ac determinavit Pontifex; circa quas Beatorum nondum Canonizatorum Reliquias specialiter etiam observandum est Decretum Sac. Congregationis allegatum supra num. 17. in quo cultus publici specificatur, qui Beatis exhiberi prohibentur, etiam eorum Reliquiis exhiberi nequeunt, inter quos etiam est, ne Beatorum Reliquiæ in publicis Processionibus circumferantur.

26 Resp. III. Ad hoc, ut Reliquiæ noviter inventæ, aut productæ publico cultu valeant, requiritur, ut prius legitime sint approbatæ, ac recognitæ. Patet hoc tum ex c. 2. h. t. ubi dicitur: Invenas de novo Reliquias nemo publicè venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis sint approbatæ, & Concilii Tridentini Sess. 25. de Invocat. Venerat. & Reliquiis SS. & SS. Imaginibus, ubi habetur: Nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novæ Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscenæ, & approbante Episcopo. Verum quia inter hos duos Textus aliqua adesse videtur contradictio circa approbationem SS. Reliquiarum, hinc quæ approbatio prævia ad cultum publicum requiritur; item quas Reliquias Episcopus approbare possit, ponitur specialis Conclusio sequens.

27 Resp. IV. Reliquiæ tam Beati, quam Canonizati de novo inventæ non tantum à Papa, sed etiam ab Episcopo recognosci, & approbari possunt. Fagnanus in c. Cum ex eo. h. t. n. 6. Barbosa in Concil. Trident. lo. cit. n. 9. & 10. textu claro Concilii Trident. lo. cit. ubi recognoscit, & approbatio Reliquiarum noviter inventarum (intellige de Sanctis, vel Beatis) Episcopo expressè conceditur. Nec obstat textus c. 2. h. t. quia intelligi debet de Reliquiis novis alicujus nondum Canonizati, ut statim dicitur. Quin imò Reliquiæ à Papa jam approbatæ, etiam ab Episcopo loci adhuc recognosci debent, non quidem ut eas denuò approbet, sed ut videat, an reverè Romæ approbatæ sint, an verò fias aliqua subit, antequam publicæ venerationi exponantur. Porrò ad hoc, ut Episcopus ritè approbet alicujus Sancti, vel Beati Reliquias noviter inventas, & Romæ nondum approbatas, necessè est, ut adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, que veritas, & pietati consentanea judicaverit; prout expressè statuitur in Concilio Tridentino lo. cit. & bene ibidem observat Barbosa n. 13. citans Azorium par. 1. lib. 9. cap. 8. q. 8. Sanchez in Decalog. Tom. 1. lib. 2. cap. 43. n. 15. & alios.

28 Resp. V. Reliquias alicujus cum fama sanctitatis defuncti nondum Canonizati, aut Beatificati nullus præter summum Pontificem approbare potest in ordine ad cultum publicum; textus est in c. 2. h. t. do-

centque ibidem Doctores communiter. Nec obstat Concilium Tridentinum lo. cit. ubi concessa videtur Episcopis universalis licentia approbandi quasvis Reliquias noviter inventas; consequenter correctæ dispositio Juris antiqui. Nam contra est, tum quia ad evitandam Juris correctionem non necessariam textus Concilii Tridentini lo. cit. intelligi debet de solis noviter inventis Reliquiis jam Canonizatorum, vel Beatificatorum: Textus c. 2. h. t. verò de Reliquiis noviter inventis, seu productis illorum, qui cum fama sanctitatis defuncti, nondum Canonizati, aut Beatificati sunt, uti cum aliis solidè probat Fagnanus in cit. c. 2. h. t. à num. 5. Ratio est; quia, si Episcopus in ordine ad cultum publicum possit approbare Reliquias nondum Canonizati, vel Beatificati, sequeretur, quòd possit etiam Beatificare, cum juxta dicta hoc in substantia aliud non sit, quàm concedere, ut quis cultu publico alicui coli queat; quòd tamen est contra Jura nova, & antiqua, uti patet ex dictis supra num. 6. & seqq. Dicitur autem notanter in Conclusione: in ordine ad cultum publicum; quia simpliciter cognoscere, & iudicare, quòd hæc aut illæ Reliquiæ sint hujus aut illius cum fama sanctitatis defuncti, nullâ ratione, nulloque Jure prohibita reperitur Episcopis.

Resp. VI. Reliquiæ quæcumque tam antiquæ, quàm novæ, non tantum Canonizatorum, aut Beatificatorum, sed etiam cum fama sanctitatis, aut insignis pietatis defunctorum, cultu privato colere, & venerari quis potest, etiam si a nemine approbatæ fuerint, aut recognitæ, Fagnanus in cit. c. 2. h. t. n. 11. & ibi Hostiensis, Joan. Andreas, Buttrius, & alii communiter, arg. cit. c. 2. h. t. ubi solum prohibetur publica veneratio; ergò à sensu contrario conceditur privata veneratio & cultus Servorum Dei nondum Canonizatorum, aut Beatificatorum. Confirmatur ex dictis supra num. 18. & seqq. ubi docuimus hujusmodi Servos, & Famulas Dei cultu privato coli omninò posse.

30 Inferitur, quòd iis modis & cultibus privatis, quibus supra diximus, coli posse cum sanctitate defunctorum, coli etiam valeant eorum Reliquiæ: insuper, ac licitum est eisdem Reliquias, v.g. vestes, scripturas, mortificationis, aut pietatis instrumenta, libros, imagines &c. secum portare, ad collum suspendere, osculari, alicuius finituli cultu privato venerari; ut cum aliis bene advertit Fagnanus lo. cit. numer. 12.

31 Resp. VII. Circa Reliquias Sanctorum specialiter etiam attendi, & observari debet dispositio c. 2. h. t. ubi præter dicta statuitur, ut Reliquiæ antiquæ Sanctorum extra easdem nullatenus ostendantur (exceptis illis, qui specialiter Dei dono à corruptione sunt præservati, ut post Hostiensem cit. c. 2. h. t. bene observat Piching h. t. num. 10.) & ne venales exponantur, seu vendantur; quod etiam statuitur l. Nemo. 3. c. de SS. Eccl. Cujus ratio est; quia Res sacræ non sunt in alicujus dominio, nec pretiæ venerationem recipiunt, §. Nullius 7. Inst. de Rerum divisione. Insuper attendere, & observare oportet Dispositionem Concilii Tridentini lo. cit. ubi de cultu SS. Reliquiarum præter alia ita statuit: Omnis porò suspensio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur, omnisque superfluitas, omnis denique lascivia vitetur, ut in prociac venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum veneratione homines ad comestiones, atque ebrietates non abutantur; quasi Festi dies Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur &c.

32 Queritur II. Utrum Episcopus abque licentia Papæ transferre possit Corpora, aut alias Reliquias Sanctorum? Resp. Affirmative. Fagnanus in c. 2. h. t. n. 15. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 43. num. 25. Sylvester & Relis

3. Reliquiæ, q. 3. & alii, contra Glossam in can. Corpora Sanctorum. 37. de Consecrat. Dist. 1. Probatur autem Conclusio ex cit. can. Corpora Sanctorum. ubi in sensu diviso requiritur, & sufficit consensus Principis, id est Papæ (ut ibidem ait Glossa) vel Episcoporum. Ratio est; quia juxta illud universale principium, Episcopus potest in sua Diocesi, quæcumque Papa sibi expressè non reservavit, arg. c. Nuper. 29. & ibi Glossa v. Resignat. de Sentent. Excommun. Ut tamen talis translatio ritè fiat, requiritur consensus Capituli. Fagnanus lo. cit. n. 29. Ratio est; quia reputatur inter ardua & gravia, quæ Episcopus sine consensu Capituli aggredi non valet, arg. c. 1. totoque Tit. de liti. quæ sunt à Prelatis sine consensu Capituli. Accedit, quòd hujusmodi Translatio sit quodammodo aliqua alienationis species, cum Corpus S. quòd prius pertinebat ad certam Ecclesiam, attribuitur alteri: ob quam rationem etiam juxta causam requiri ad talem Translationem lo. cit. num. seq. docet idem Fagnanus apud quem plura vide de hujusmodi Translatione.

Illud quoque circa Reliquias Sanctorum addendum, quòd factiva earum substractio etiam devotionis causâ facta, sit peccatum Sacrilegii, prout post Turrecrem. in cit. can. Corpora de Consecrat. dist. 1. in respon. ad 2. bene docet Pirhing h. t. ad finem. Ratio est; quia Reliquiæ sunt Res sacræ.

33 Queritur III. Quid sit Miraculum, & quæ requirantur ad illud? Ante responsum nota, meritò hanc questionem hic fieri, quia Miracula requiruntur ad Canonizationem Sanctorum, de qua hic agitur. Hinc Resp. I. Miraculum (sic dictum, quasi admiratio e plenam) propriè ac strictè sumptum est id, quod fit præter ordinem totius naturæ create. Ita D. Thomas p. 1. q. 110. a. 4. & q. 114. a. 4. quem Doctores communiter sequuntur.

34 Resp. II. Secundùm Glossam communiter receptam in c. un. h. t. in 6. v. Sedis Apostolicæ quatuor principaliter requiruntur ad verum, ac propriè dictum Miraculum. Primum quòd fiat supra naturam, id est, præter ordinem totius naturæ, ut dictum est in definitione ejus. Ex quo cum D. Thoma. & communi aliorum inferitur; quòd solus Deus propriè ac physicè facere possit Miraculum; si enim aliquid creatura v. g. Angeli, Sancti, ac Dæmones id facere possent, jam non supra naturam, nec præter ordinem totius naturæ esset; unde dicitur Psal. 71. Qui facit mirabilia super.

Hinc inferitur ulterius, quòd nec Sancti, nec Angeli, nec Dæmones, nec Magi unquam verè ac physicè fecerint, nec facere possint vera Miracula. Neque obstat, quòd passim dicatur, & credatur, per Sanctos facta esse, & adhuc fieri plura Miracula; quia hæc ab illis non physicè, sed moraliter tantum fiunt, in quantum nempe Deus ad preces ipsorum, vel intuitu fidei, argue meriti eorum, aut in confirmationem sanctitatis eorumdem Miracula patrat. Pariter non obstat, quòd can. Teneamus 6. cau. 1. q. 1. sicut & Exod. 7. habeatur, Magos Pharaonis fecisse Miracula: & eodem can. Teneamus, nec non Apor. 9. dicatur, Simonem Magum patrâsse Miracula. Resp. enim cum D. Thoma mira illa per Magos Pharaonis, sicut & Simonem Magum (idem dic de mirabilibus per alios Magos & malos homines ope Dæmonis factis, aut exhibitis) patrata, vera non fuisse Miracula, sed vel meras illusiones auctore Dæmone procedentes, quibus phantasia mortalium ita decipit, ut videatur eis, hoc vel illud adesse, aut contingere, cum tamen à parte rei nihil sit: vel esse effectus aliquos revera existentes, & quidem mirabiles, ope Dæmonis activa passivè applicantis, aut aliâ virtute suâ naturali Angelicâ agentis productos, quæ quia facultatem & ceptum humanum excedunt, indeque admirationem in intellectu humano causant, Mirabilia seu Miracula in sensu

largo dicuntur, quamvis reverè propriè talia non sint, hoc ipso quòd à creatura aliqua fiunt.

Secundò juxta Glossam citatam requiritur ad verum Miraculum, ut appareat illud à Deo, & non ex arte contingere, neque ex diabolo; quæ conditio jam videtur esse inclusa in primo. Tertio requiritur, quòd fiat non vi verborum, sed vel hominis merito, vel in testimonium veritatis: hinc Transsubstantiatio panis in Corpus Christi per Sacerdotem vi Consecrationis causata ad propositum, & prout ad Canonizationem requiritur, non est Miraculum.

Quarto requiritur, ut fiat vel in testimonium, & corroboracionem Fidei; vel in testimonium sanctitatis, & insignium meritorum alicujus, quem Deus vult hominibus proponere in exemplum virtutis, aut per eum Miraculis illustratum quædam magna operari. Duplicem enim ob hunc finem Deus facere solet Miracula, videlicet, ut in fidei vel Fidei veritatem confirmet, & corroboret, juxta illud Marc. ult. Illi autem presceli prædicaverunt ubique, Dominò cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: & Hebr. 2. Contestante Dei signis, & variis virtutibus. Sunt namque vera Miracula infallibile signum Fidei; cum enim non nisi à Deo fiant, & quidem in testimonium veritatis; Deus autem falsitatis testis esse nequeat, consequens est, quòd, quidquid Deus per Miraculum confirmat, & testatur, verum ac infallibile sit: sedis enim, Deus homines decipere, prout amplius Controversistæ. Dein etiam Miracula patrat ad demonstrandam alicujus sanctitatem, & specialia merita; ut inde homines ad imitationem vitæ perducant, aut apud eosdem in Sancto (si adhuc in vivis degit) auctoritatem, & æliminationem pro operibus, quæ forsan Deus pro sua gloria, aut animarum salute agere per talem intendi, conducendum ficiat, vel ut homines ad talem (si jam mortuus est) invocandum, ac honorandum, sicutque gloriam ejus in cœlis suo modo augendam inducat.

Ubi advertere dum, quòd ob primum finem, videlicet in confirmationem Fidei, à quovis veram Fidem habente, eamque prædicante, ac Nomen Domini invocante, etiam peccatore fieri possunt Miracula (moraliter) prout patet in Juda Productore, qui in testimonium Fidei aequè ac alii Apostoli patravit Miracula, Marc. 3. Ob secundum autem finem in testimonium nempe sanctitatis alicujus, aut insignium meritorum apud Deum, non fiant nisi ab illis, qui coram Deo speciali sanctitate ac perfectione vitæ, specialitèque meritis fulgent, sive dein in vita, sive post mortem Miracula fiant.

Hinc si apparet, miranda quædam non in testimonium Fidei, sed ex alio fine, vel inutiliter & absque simili fine fieri ab hominibus speciali virtute non fulgentibus, signum manifestum est, talia mira per dæmonem fieri, vel aliâs ltere fraudem, proinde cautè, ac circumspèctè procedendum, nec facile talibus credendum, sed potius eisdem invigilandum esse. Barbosa p. 3. de Offic. & potest. Episc. Alleg. 97. n. 8. quatuor enumeratis ad verum Miraculum requisitis conditionibus etiam quintam & meritò addit, nempe ut fiat præter consuetum, & ordinariam modum causandi: defectu cuius, creatio animæ, conservatio Universi &c. quamvis à solo Deo fieri possint, ad propositum vera Miracula non sunt.

Queritur IV. An ex Miraculis sit unum majus altero, & qui dentur gradus inter ea? Resp. cum D. Thoma part. 1. q. 105. art. 8. Mascardo de Probationibus concl. 1065. Bartholo, & aliis, quòd inter Miracula unum sit majus altero: non quidem secundum comparationem ad Divinam potentiam (quia quòd quantum factum Divinæ potentie utpote infinitæ comparatur, est modicum, imò minimum quid) sed dicitur unum Miraculum majus altero per compara-



parationem naturæ create, prout magis vel minus eam excedit. Tripliciter autem potest aliquid excedere facultatem naturæ. Primum secundum substantiam facti; ut quoddam corpus sint simul; quoddam homo habeat corpus gloriosum, prout accidit post Christi resurrectionem; vel quoddam sol stet, aut retrocedat, prout contingit ad preces Josue, & Ezechie Regis. Et ita tenent summum gradum in Miraculis, cum ea nullo modo possit facere natura.

39 Secundum potest aliquid excedere vires naturæ quoad subiectum eius, in quo fit, id est, quando aliquid fit, quod natura ipsa quoque facere potest, sed non in illo, sive in tali subiecto, in quo fit: sicuti est resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & huiusmodi: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; & potest præstare visum, sed non in cæco. Et hæc tenent secundum gradum in Miraculis. Tertium excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, ac ordinem faciendi, id est, quando tale quid fit, quod natura ipsa facere potest, sed non in illo ordine aut modo. Sicuti est, cum quis subitò, ac instantaneè Divinâ virtute liberatur à febre nullis adhibitis medicamentis, prout contingit Socru Simonis Petri. Luc. 4. Aut cum acèr itatim divinitus condensatur in pluvias absque causis naturalibus, sicuti factum legitur ad preces Samuelis & Eliæ Prophetæ. Aut si insolito modo panis multiplicetur &c. nam hæc omnia possunt à natura fieri, sed non tali modo, ac in tali ordine. Et huiusmodi tenent infimum locum in Miraculis; habent tamen diversos gradus inter se, secundum quos diversimodè excedunt facultatem naturæ.

40 Queritur V. An verum Miraculum fieri debeat in instanti? Resp. Negative, ita contra Dianam p. 2. tr. 17. Resol. 48. Zerolam v. Miraculum, Riccium, Piafecium, & D. Thomam sentiunt Cajetanum, Valquez, & alii à Diana citati. Ratio est; quia nil refert ad Miraculum sive in instanti, sive successivè fiat, dummodò tale fit, quod non nisi à Deo fieri possit, & præter consuetum causandi modum, ob bonum finem, testimonium nempe Fidei, vel meritum factum sit. Confirmatur Exemplis miraculosè factis ex S. Scriptura: sic enim Ezechias Rex à sua infirmitate miraculosè curatus est non in instanti sed successivè Isate 38. Pariter & Cæcus Marci 8. non in instanti, sed successivè, & tamen miraculosè visum obtinuit.

41 Illud tamen verum est, Miracula instantanea verissima esse Miracula, à fraude & deceptione demonis magis aliena, quàm successiva: Diabolus enim multa potest successivè applicando activa passiva, quæ tamen non potest in instanti. Pariter multa potest facere natura successivè, quæ nullo modo præstare potest in instanti. Hinc si quis in instanti liberatur à gravi infirmitate, habetur pro Miraculo, non verò, si successivè; quia hoc non item illo modo potest infirmitas à demone curari. Imò etiam si quis à similibus infirmitatibus, aut aliis tribulationibus per meritum, & intercessionem Sanctorum successivè liberetur, Miracula non vocantur, sed gratiæ & beneficia, quorum plurima quotidie per Sanctorum patrocinia, homines obtinent, quæ in hoc differunt à veris Miraculis, quod licet forsitan fiant ad intercessionem Sanctorum, id certum non fit, hoc ipso, quòd absolute loquendo, vel à demone, vel à natura, vel ab hominibus fieri possint. Quapropter rara sunt Miracula stricte dicta, quæ non sunt in instanti. Cætera plerumque non tam Miracula, quàm mira, seu miranda beneficia, item & gratiæ vocanda sunt.

42 Queritur VI. Cui competat potestas examinandi, & recognoscendi Miracula? Et quomodo recognosci debeant? Resp. Hanc potestatem non tantum Summo Pontifici, sed etiam Episcopis competere. Ita

clare delimitur ex Concilio Tridentino Sess. 25. de Invocatione Sanctorum, ubi dicitur: Nulla etiam admittenda esse Miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscens, & approbante Episcopo, qui textus non tantum procedit de Miraculis jam Canonizatorum, sed etiam non Canonizatorum; ita ut Episcopus etiam horum Miracula recognoscere possit, prout Sacra Concilii Congregatio declaravit, teste Barbosa de Offi. & potest. Episc. Allegat. 97. n. 3. Fagnanus in c. Cum ex eo. h. t. n. 7. Addit tamen ibidem Barbosa, hanc potestatem alii Episcopo inferioribus non competere; et si jurisdictione quasi Episcopali fulgeant.

Resp. II. Examen, & Inquisitionem Miraculorum debere esse exactissimum, ac rigidissimum, præsertim quoad Testes, ita ut regulariter non nisi per Testes idoneos juratos, qui non sint singulares, & qui deponant ex scientia per sensus proprios & singillatim examinentur, Miraculum probari valeat; prout pluribus demonstrant Auctores arg. c. Venerabili de Testib. & can. Testes. cau. 3 q. 9. Item, quòd sint plures testes, cum unus testis sit nullus testis: nisi forsitan Miraculum esset tale, quod ex natura sua non nisi per unam personam probari possit: uti fit in revelationibus, & apparitionibus; item in Miraculis factis in propria persona deponentis, quod aliter probari nequit; vel quando cum dicto unius testis concurrat publica fama, vel alia adimicula. Barbosa lo. cit. n. 3. ubi addit, sufficere etiam testes domesticos. Insuper docet ibidem, quòd Episcopus ad examen Miraculorum adhibere in consilium debeat etiam Theologos, & alios viros probos, id quod expressè præscribitur in Concilio Tridentino lo. cit. ibi: Adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris. Porro, si examinat Miracula nondum Canonizatorum, aut Beneficiorum, debet, antequam ea divulget, aut divulgari permittat, totum negotium ad S. Sedem transmittente, indeque responsum expectare, juxta Constitutionem Urbani VIII. Sanctissimus. 39. in Bullario Cherubini.

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

Materiam hujus Tituli, quia exactè, & ex professo tractant theologi, hinc more aliorum Canonistarum, eam iisdem relinquimus, & breviter tantum adducimus, quod in omnibus tribus hujus Tituli capitulis continetur. In c. 1. h. t. consultus Pontifex respondet, quòd, si Festum Nativitatis Domini, Assumptionis B. V. Mariæ, vel Festivitas aliquis Apostoli occurrat Feriâ 2dâ, tunc Vigilia debeat celebrari, ac jejunari Sabbato præcedente.

C. 2. eod. Decernit Pontifex, quòd Omnium Apostolorum Vigiliae sint observatione jejunii celebrande, præter Vigiliam Apostolorum Philippi & Jacobi, & B. Joannis Evangelistæ; quoniam ipsorum Solemnitas intra Solemnitatem Paschalem, ipsius autem intra Nativitatem Domini celebratur. Ibidem probat, necessitatem, ac infirmitatem à Jejunio excurrere.

C. 3. eod. Statuit Honorius III. quòd si Nativitas Christi in diem Veneris cadat (multò magis, si in diem Sabbathi arg. c. 3. h. t.) ob Festi excellentiam cuius Christiano liceat vesci carnibus, qui non ex voto, aut Regulari observantia ad Jejunium, vel abstinentiam à carnibus est adstrictus: ob quam exceptionem Doctores communiter docent, quòd, cum Fratres Minores ex voto, ac Regule præcepto sub mortali obligentur, singulis Feriis sextis jejunare; præfate privile-

§. I.

De Ædificatione Ecclesiarum, & requisitis ad eam: Item de Reparatione earumdem: ac de iis, qui reparare tenentur.

SUMMARIUM.

- 2 Ecclesia in sensu morali & materiali quid?
- 3 Ecclesia materialis alia Basilica, alia Cathedralis, alia Collegiata, alia Matris, alia Baptismalis, alia Parochialis, alia Regularis, alia Secularis: & quid queris?
- 4 Ad ædificandam Ecclesiam requiritur Episcopi consensus.
- 5 Non item ad Oratorium privatum.
- 6 Antè Ædificationem Ecclesie debet Episcopus per se, vel per alium Crucem figere, & primum lapidem ponere.
- 7 Ad Ædificationem requiritur expressus Episcopi consensus. Et n. seq.
- 8 Et competens dos, exceptis Ecclesiis Mendicantium. Et n. 10.
- 9 Et quid, si absque dote ædificetur?
- 11 Ecclesia in præjudicium alterius, præsertim Parochialis Ecclesie ad seavi nequit: & idèd Parochi citari, & audiri debent.
- 12 Limitatur in erectione nove Parochie.
- 13 Ad erigendam novam Parochiam requiritur I. justa causa. Et que talis? & n. seq.
- 15 II. Citatio antiqui Parochi.
- 16 III. Competens dos Parochi novi.
- 17 IV. Ut antiquo Parocho maneat Juspatronatus ad novam.
- 18 V. Ut eidem à novo Parocho debitus exhibetur honor: & quis?
- 19 VI. Ut fiat cum consensu Capituli. Et n. seq.
- 21 VII. Ut Episcopus per se, vel per alium specialis mandato erigat.
- 22 Reparare Ecclesiam quinam, & quomodo teneantur? usque ad num. 26.
- 26 Qui reparare tenentur Ecclesiam, etiam ad reparandam domum Parochialem, & Ecclesie paramenti, tenentur.
- 27 Observatio practica.
- 28 Specialia de reparatione Ecclesie Cathedralis.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post partum.

Levitici 12. In veteri Testamento, Jure positivo non statim ingrederentur Ecclesias, sed tanquam immundæ ab earum ingressu per quadraginta dies, si masculum, per octidaginta vero, si feminam peperant, abstinerent. Verum quia hæc Lex erat una inter cæremoniales, quæ omnes fuisse ablata per Legem gratiæ, declarat Pontifex c. un. h. t. mulieres ad hanc Legem non amplius obligari, sed posse statim post partum, si velint, & vires permittant, ad agendas Deo gratias, Templum ingredi. Addit tamen ad finem, quòd, si velint ex devotione ab ingressu Ecclesie aliquandiu abstinere, id eis non sit in probandum, nec denegandum. Hinc consuetudo hodierna ferè ubique vigens habet, quòd mulieres post partum per alios septimanas ex decencia laudabili, ab ingressu Ecclesie abstinant, & ante ingressum certam benedictionem à Parocho loci recipient, dantes eidem reciprochè aliquod honorarium. Et quamvis nullum existat in Jure præceptum, petendi hanc benedictionem ante ingressum Ecclesie, & dandi aliquid pro eo sed stando Juris dispositioni, utrumque liberum sit Mulieribus, tamen consuetudine introducti potest, pluresque in locis introducta habetur obligatio dictam benedictionem ante ingressum ad Ecclesiam, petendi, & aliquid pro ea Parocho præbendi; prout in similib. de Oblationibus diximus supra Tit. de Decimis. num. 184. & seq. Illud hinc observandum, quòd facultas benedicensi post partum mulieres, & aliquid ab eis recipiendi numeretur inter jura Parochialia, proinde Regularibus nullatenus competat, prout declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini Interpret. 1662. 18. Novembris.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

1 Ratio continuationis.

Actum est in præcedentibus Titulis de Consecratione Ecclesie, de Celebratione Missæ, de Sacramentorum Administratione, de Divinis Officiis &c. ad quæ quia ordinariè necessaria sunt Ecclesie, recto ordine de earum Constructione, & Reparatione nunc agitur: Et quoniam nomine Ecclesiarum etiam Monasteria in aliquo sensu veniunt, juxta dicta supra Tit. XII. de Celebratione Missæ. n. 19. de eorundem quoque Ædificatione hic agemus.

Notandum prius, non esse hinc sermonem de Ecclesiis in sensu morali, prout nempe significant Cætum, Conventum, Collectionem, aut Congregationem hominum, quo sensu Ecclesiam sæpè accipit S. Scriptura, ut Psal. 25. Odivi Ecclesiam malignantium: & Matth. 5. Convenit Ecclesia magna, & alibi passim: quo sensu etiam cuncti Fideles sub uno in terra Capite, Papæ nempe, existentes vocatur Ecclesia Catholica, juxta can. Ecclesia, de Consecrat. dist. 1. ibi: Ecclesia, id est Catholicorum Collectio; sed esse sermonem de Ecclesia materiali; id est, de Templo aliquo manu factò, seu re de publicâ cultui Divino deputatâ, in quo Fideles ad honorandum & invocandum Deum, divina admistranda, & percipienda Sacramenta, Missæque Sacrificium offerendum &c. conveniunt.

In sensu hoc materiali, Ecclesia accepta varias habet Classes & nomina. Aliquæ enim dicuntur Basilicæ, alie Cathedralis, alie Collegiatae, alie Baptismales, alie Parochiales, alie Matrices, alie Finales, alie Regulares, alie Sæculares. Basilicæ olim dicebantur Ecclesie nondum consecratae, ut notat Abbas in Rubr. de Consecrat. Eccles. n. 2. post Glossam in c. 1. de Religios. Domib.